



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

DOMINO NOTKER WOLF

ABBATI PRIMATI BENEDICTINORUM CONFOEDERATORUM

Reverendissimo Patri

Domino Notker Wolf

Abbati Primati Benedictinorum Confoederatorum

Nongentesimus Sancti Anselmi obitus iam advenit annus, quem congruenter commemorare honorareque volumus. Vere is Europaeus est Sanctus habendus, qui anno MXXXIII in Italia septentrionali ortus et monachus factus Benedictinus in abbatia Beccensi Normanniae anno MLX, demum Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia anno MCIX de hoc mundo demigravit. Memoriam eius devoto animo recolentes, ipsius sapientiae thesaurum extollere collustrareque volumus, ut homines qui nunc sunt, Europaei potissimum, ad eum accedant, solidam eiusdem et uberem doctrinam sumpturi.

Licet Archiepiscopus esset, monachus Benedictinus esse prae ceteris voluit, prorsus vitae monasticae momenti ponderisque conscius. Suam Pontifici Maximo beato Urbano II *Epistulam de Incarnatione Verbi* dicans, appellatur ipse *frater Anselmus, vita peccator, habitu monachus, sive iubente sive permittente Deo Cantuariae metropolis vocatus episcopus* (in *S. Anselmi Opera omnia*, II, ed. F. S. Schmitt, Romae 1940, p. 3). Iuveni cuidam monacho scribit: *Te hortor et moneo, ut mens tua semper ad meliora se extendere studeat. Quod si quaeris consilium quomodo hoc possis facere: monachicum propositum super omnia dilige* (*Ep.* 232, ed. Schmitt, I.c., IV, Edimburgi 1949, p. 138). Significationis quantum Lectionis divinae exercitae Anselmus intellexerit, quod cardo est vitae Benedictinae, patefacit eius *Prologus Orationum sive Meditationum*, quas scripsit *ad excitandam legentis mentem ad Dei amorem vel timorem, seu ad suimet discussionem*, de quibus commonet: *Non sunt legendae in tumultu, sed in quiete, nec cursim et velociter, sed*

paulatim cum intenta et morosa meditatione (Orationes sive Meditationes, Prol., ed. Schmitt, I. c., III, Edimburgi 1946, p. 3). Sancti Benedicti verba de vita monastica, quae ad Deum requirendum vertitur (si revera Deum quaerit) ipsaque de Christi amore, cui nihil est antefendum (nihil amoris Christi praeponere), principia quidem sunt, quae eum ad theologiam vestigandam ducunt (cfr Regula S. Benedicti, c. 58, 7; c. 4, 21).

Ex vita igitur Benedictina, quam ipse sive Becci sive Cantuariae exegit, ratio reperitur eiusdem theologici operis. Suis in scriptis, cum altius intellegere fidei mysteria studet, nullum inter eruditionem et devotionem, theologiam et mysticam intervenit discidium. Sanctus Anselmus sicut theologus precatur et precans theologiam vestigat. Magnum eius opus, quod *Proslogion* inscribitur, sicut Sancti Augustini *Confessiones*, una est precatio, una Dei vultum contemplandi est cupiditas. Multum ille humano intellectu, Dei tamquam dono, confidit. Pontifici Urbano II suum opus, quod est *Cur Deus homo*, dicans, rationis ius, immo rationis officium palam sustinet fidei altius vestigandae ad contemplandam veritatis pulchritudinem: *Ubi (sacra pagina) dicit: 'nisi credideritis, non intelligetis', aperte nos monet intentionem ad intellectum extendere, cum docet qualiter ad illum debeamus proficere. Denique quoniam inter fidem et speciem intellectum quem in hac vita capimus esse medium intelligo: quanto aliquis ad illum proficit, tanto eum propinquare speciei, ad quam omnes anhelamus, existimo (Cur Deus homo. Commendatio operis, ed. Schmitt, I. c., II, Romae 1940, p. 40).*

Ob oculos habito huius praestantis Doctoris magisterio, Sancti Anselmi de Urbe Collegium, a Pontifice Maximo Leone XIII conditum veluti academicum internationale Institutum, ad iuvenes totius orbis Benedictinos erudiendos destinatum, praecipua illa principia servare provehereque contendit, quae, secundum eiusdem Sancti Patroni mentem, ad monasticam vitam et ad intellectivum opus attinent. Sed hodiernis temporibus Pontificium Athenaeum Sancti Anselmi, quamvis indolem servet Benedictinam, non monachis tantum patet, sed etiam monialibus sororibusque, cleri saecularis discipulis ac laicis. Istuc vel discipuli non catholici instituendi accedere solent. Collegium hoc proinde factum est vere internationale academicum Institutum. Inibi traditur philosophica, theologica ac liturgica institutio, quae efficit ut fides et intellectiva eiusdem fidei cognitio coniungantur, quemadmodum suis temporibus Sanctus Anselmus egit. Sanctus hic doctor suum *Proslogion* capite illo praeclaro concludit quod est de *gaudio pleno*: *Oro, Deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies usque dum veniat illud ad plenum. Proficiat hic in me notitia tua, et ibi fiat plena; crescat amor tuus, et ibi sit plenus: ut hic gaudium meum sit in spe magnum, et ibi sit in re plenum (Prosl. 26, ed. Schmitt, I. c., I, Seccovii 1938, p. 121).*

Exoptantes quidem ut universi precatione illa, laetitia speque referta, imbuantur ipsiusque doctoris doctrinam plenius adipiscantur, Benedictionem Apostolicam, benevolentiae Nostrae veluti signum, tibi nominatim, reverendissime Pater, universae Benedictinae Confoederationi, magistris, discipulis, omnibusque istuc accedentibus, ex animo impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VII mensis Martii, anno MMIX, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTVS PP. XVI

© Copyright 2009 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana